



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Epistola Thomæ Bodlei ad Francisc. Baconum, Qua candide expendit ejus
Cogitata & Visa. Latine versa ex Anglico ab Is. Grvtero.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

EPISTOLA

THOMÆ BODLEI

Ad

FRANCISCUM BACONUM,

Quæ candidè exponit ejus

COGITATA ET VISA.

Latine versa ex Anglico,

Ab

ISAACO GRUTERO.

Finito, quod mihi statueram, tempore, cum laxius te ferari opinarer, bis terve in prociectu steti, ut gratias acturus te adirem, potius id à me fieri debere ratus coram, quam per literas. Sed proposito semper injecta fuerunt obstacula, ut & nunc *Felhami* me detinet gravioris momenti negotium, quod sententiam quoque meam scripto mandandam persuasit. Non dubitas, quin *Cogitata & Visa* tua legerim, restor id factum à me summa cum voluptate, cum id præcipui amoris argumentum interpreter, quod habebas me in tuorum numero, quibus centenos offers ingenii tui nondum evulgatos labores. Quo nomine fer me quæso hæc dicentem. Primo, si intimo erga te affectui, ingenium tuum, actiones & sermones id pretium diceretur, quod tui in me amoris est, liceret hæc mutuis illigata complexibus sociari. Sed omnis excluditur paritas, ubi ea fortis nostræ disparitas est, & tam longè dissident, quibus favor utrinque noster probare se nititur. Me itaque quod attinet, ex sese illa aestimari permitto, & æterno observantia nexu habebis me tibi devinctissimum. Ad operis tui argumentum ut accedam, est id ampla maximè insignium speculationum congeries, ut in admirationem me rapiat, (quæ perpetuò & defixum tenebis) quoddam civilibus negotiis occupatissimus & summe acciti otii, quibus nullum prorsus cum declamatis in Schola dogmatibus commercium est, quicquid tamen optime frugis recondunt Scientiarum præcipua, id omne accuratissimo selectu transtuleris in Libri tui materiam. Quamquam enim alicubi prorsus declines à trita & pervulgata in Scholis docendi ratione, quæ apud nullius non gentis & seculi Sapientes habita fuit unica veri norma; tamen & in illis & quicquid toto moliris opere artificè te nobis probas versatili dexteritate. De me id fateor exerte, si institutum spectetur quæ in eruditionis latifundia excurrit, excerptendum me literatorum gregi. Cum tamen ita promptè vocatis ad tui tractatus censuram amicis audire libenter velle videaris, si quid mihi aut aliis occurrerit decretorio confodiendum stilo, eo me redactum sentio, ut iudicium meum dissimulare non liceat, aperteque contestor ex eorum me numero, qui solidiora esse statuunt artium nostrarum fundamenta, quam tota dissertationis tuæ series admittit. Primò enim, cum obijcis sinistros eventus & errores præcticæ Medicinæ, non ignoras mali id redundare ex neglecta artis regula. Nam ne centesimus quidem medicæ cautionis observantem se præbet, & ea aliquando ægri corporis constitutio est, ut exactè doceri Medicum non patiat. Paucos enim reperias, qui rebus sic sese habentibus rectè se explicent. Est & ubi malum ex se arti cedere nescit, quod in multis

morbis accidens esse nōsti; quandoque & in abdito causa, quam nullæ deprehendunt conjectura. Quicquid sit; ego mihi persuadeo, illud præcticæ Medicinæ (prout hodie exercetur,) probrum refundi in profitentium incuriam, aut inscitiam, aut aliam ingenii mei caliginem, quod minus felices habeat successus. Pauci enim Medicos agentium, ita in arte sua exercitati sunt, ut quidem quæ ex arte præscribunt, flagitant. Atque hæc licet ad eam perfectionem non assurgat, admirandis tamen sanitatis adminiculis abundat, ut per tot seculorum decursum exploratissime fidei docuerunt experimenta, quæ regiam velut viam pandunt ad commendatissimam per te quoque scientiam. Alchymia & Magia axiomatibus quibusdam constant sanè dignis, quæ assensum impetrent. Sed tota Artificum industria ita subtilitatem & imposturas miscet, ut non tantum fraus & fraudum fabri contemptum incurrant, sed & ludibriis excipiantur. Atque hic ut in solido locetur quod instituti tui pars est potissima, videntur mihi exempla tua fuisse petenda, ex iis, quæ liberales tradunt scientiæ, sepositis, quæ sunt de rarò contingentibus, & ut in confesso est, facile refutari possunt, sed convertendam fuisse censorii stili aciem, in ea, quæ generalia præstruunt, & tamquam non subvertenda Axiomata & Canones defenderunt nobilissima omnis ævi ingenia. Apud Eruditos enim nil certius, quam illud artium genus, cui Scholastica olim natio nomen dedit *Quadriviales*, positiones suas per irrefutabiles demonstrationes asseruisse. In aliis quoque *Triviales* dictis ex nobis superfluit regulæ velut per manus traditæ, quæ plerumque sine suo, in quem scientia quæque collineat, non excedunt. Jan verò si nos consilio tuo ductiles præbeamus, id est, communes notiones homini instas exuamus, deletisque omnibus actionibus nostris, operibus & maximis repuerascere conemur, quò liceat intrare *regnum naturæ*, ut ex S. Codicis præscripto enitendum nobis est ad *regnum calorum*, me quidem iudice, nihil certius est, quam sic præcipiti gradu eundem esse in barbariem, unde post aliquot seculorum millia nihilo instructiones emergamus Theoreticis adjumentis, quam nunc sumus. Nam ita demum verè secundam ordinemur pueritiam facti *tabularum*, ubi deletis priorum principiorum vestigiis, resuscitare jubemur novi mundi primordia, & ab experimentis operum & sensuum (hanc enim in particularibus insulis probandi viam) colligere, quod in intellectu efformetur in notionem generalem, ex decantato illo apud omnes effato, *in intellectu nihil esse, quod non prius fuerit in sensu*. Neque verisimilitudine carcat posse nobis evenire, ut si ratio ineatur eruditionis,

cum

cum finienda erit Platonici anni revolutio, longè ea infra istud, quo nunc censetur, pretium decrevisse videri possit. Quòd doctrinam nobis spondes excellentiorem, quàm hodie inter nos viget, ab experimentis petendam, si latentes naturæ sinus pertentare & aperire liberet, stabilità in particularibus fide, non magis ad rem facit, quàm si eò incites, quò naturalis hominem instinctus rapit sine admotis externis hortationibus. Neque enim aliud patitur ratio, quàm ut infinita sint membra in omnibus mundi partibus. (Neque enim hæc cogitationes nostræ intra Europæ terminos cohibendæ sunt,) quæ viam insistant quò digritum intendis, tam acri & sollicità diligentia, ut magis intendi nequeat industria. Omnibus enim insita est sciendi cupiditas, non ita exsatianda, quin exardescat vehementius, ut hydrops sibi indulgens crescit. Sed quomodo aures præbituros persuadere paranti, evertendas prorsus quibus solidè constitutis inhærent sententias, & universim admitta Theoricæ, tam suis, quàm Majorum experimentis superextructa, non video adferri quò inducar ut credam. Porro asserere mihi licet non invita, ut opinor, probabilitate, si tacitas intra cogitationes ad examen revocetur, quantum exuberent naturæ documenta usu comperta per totum, quæ expanditur, Universum, quinque aut sex ista, quæ venditas, selecta & à te probata, & hodiernæ curiositati deberi vis, miserè se tuerentur inter aliquot centena naturæ arcana, quibus in lucem quotidie protrahendis aut solertia ministra est, aut faver casus, & comparari possunt, aut partim præferri iis, quæ à te designata sunt. Sed demus, sequatur assensus, posse à te conferri, quod ad Scientiarum faciat augmentum, & universalis apud nos Theoriæ notiones & axiomata fingamus existincta, suffectis noviter repertis, quid beneficii redundabit ex hac mutatione in Eruditionem & Scientias? nihil certius quàm nova hæc, & quæ in eorum appendicem veniunt, ubi semel recepta fuerint commendantibus Inventoribus; & illorum affectis gratiam præscam sensim amittura, & oblivioni tradenda ex naturæ scito fluxus illos & refluxus alternantis, atque ita ex temporum decursu penitus habitura interitum; fortasse etiam aliis idem, quod tu nunc venditas, agitantibus nimirum propolisitis administris, quibus exactius limentur augenda Scientiæ. Semper enim quæ Majoribus fuerunt probro, in Minoribus renasci solent. Quare frustra est, quisquis ab illorum exercitationibus, & tota commendandi industria aliud speraverit, quàm quod præscæ observationis sit, ut fido nobis & per scripta tradito relatu constat. Hic in mentem mihi venit quod notat Paterculus, ubi de excellentissimis Græcorum & Romanorum ingeniis agit, cum florentissimæ essent ipsorum res, hanc dari posse non improbabilem causam, quæ ea pessum dedit, ut postea docuit eventus, *natura quod summo studio peritum est, ascendit ad summum, difficilisque in perfecto mora est.* Adeo ut homines, si senserint ulteriore se prohiberi adscensu, in ipso constitutos fastigio, sponte descendant, abdicatisque exercitationibus, quibus plurimum inest moimenti, nova affectent, tamquam occupatà ab aliis materià, in qua prius laborabant. Et præsertim id Eloquentiæ fatum fuit illis temporibus, ut cum posteriores desperarent, posse à se præteriri priores, aut eos

æquari, sequeretur neglectus & contemptus præscæ exercitationis, & per aliquot secula sermo & stilius contraheret sordes & rubiginem, donec ultima perodus novam reduxit faciem, emergentibus & se incitantibus illustribus ingeniis, ad resumendos recens animatæ diligentæ impetus, propellendosque in summum perfectionis fastigium labores non in eloquentiæ duntaxat studio, sed & quousque se porrigunt scientiarum omnium pomœria. Neque enim falli illum puto, quisquis existimaverit, artes omnes, prout publicè nunc docentur, nullo non ævo existisse, non tamen pari in omnibus locis mensura, neque eodem loco semper pari numero, sed ex temporum genio mutationibus obnoxio, nunc auctiores florentioresque, nunc in exsuscitata & cum tenebricosa institutionis methodo rudi. Ratio ex me si quærat, facit pro me doctrina Aristotelis & aliorum elaboratissimi ingenii virorum, à quibus supersunt nobis plurima adminicula, unde id probetur & ad liquidum deducatur, quod aliis in rebus idem in artibus contingere, darique ortum & interitum; congrua prorsus, si me interpretem audias, sententià ei quod dici solet. *Nihil novum sub sole*, & quæ non in facta magis quàm dicta quærat, *ut nihil neque dictum neque factum sit, quod non & dictum & factum prius.* Patrocinator 2. etiam celebris illa Salomonis ad filium querela in prurientes suo seculo voluminum fabros, non alio sensu accipienda, quàm quòd magna eorum pars & fuerint observationes & in qualibet literatura artificiosi instar syntagmatis. Neque ex tam ampla congerie vel pulvisculus superest, si cupias quædam S. Codicis, posteritati relicta. Et anne tunc quidem per tot Scriptorum millia, qui Salomonis ævum antecessere, reperiri potuit quidquam novitatis titulo donandum? habenda tamen ei fides est, cum ait, non obstantibus, quæ vel sua ferebant, vel priora tulerant tempora, non potuisse dici: *Ecce novi quid.* Unde id colligo, cum per omnia secula & in omnibus Artibus & Scientiis eadem fuerint in hominibus labor, exercitatio & cognitio, cum iis, quæ nostro videmus tempore, etsi mutationum æstu fluctuantia, prout temporum & locorum, occasioneque veriat ratio, & incalescit Scriptorum industria, intendi & remitti solita, tam in Theoreticis suis, quàm Practicis, si assentimur tibi: Primò, ut Scientia nostra rejiciatur tanquam dubia & incerta (quod affirmas duntaxat non minùs argumentorum robore) deinde, ut abdicentur Axiomata nostra & Maxima, generalesque assertiones, à Majoribus quasi per manus traditæ, quæ tamen (aliter enim hæc intelligi nequeunt,) subtilissimis omnis ævi judiciis comprobata sunt; ultimò, ut excogitetur ratio, quæ nos jam factos Abecedarios, per tortuosas particularium experimentorum ambages, provehat ad cognitionem ex solidè collectis generalibus, unde nova exsculpantur Artium principia, finis erit, ut exuti, quas nunc habemus, disciplinis, & fatigati redeuntibus in circulum laboribus, illic tendamus, unde incepimus, eoque deducamur felicitatis, quæ nos in integrum restituat. Res ea est tot seculorum, quot ante nos transacta fluxerunt, ut tandem in perfectionis meta consistamus. Neque ita hic

cenfor sedeo, quasi fastidiosè explodam quicquid augendis per nova inventa impenditur scientiis, cum conatus iste nobilis sit; neque summa laude fraudandus, ob beneficium, quo in praesens perfrui licet. Nunquam defuit mundo ingens illorum agmen, qui novis excogitandis operam dederunt, neque futura carebunt secula, in quibus industria pertinax & excellens hac in parte peperit nobis ea, quae in admirationem rapiunt, captum popularum & spem transgressa. Nostrae tamen notiones & axiomata tam ab iis, quam ab Eruditorum eminentissimis semper cum gratiis recepta sunt. Vides, quam in me fiduciam tua creavit humanitas; si in ista tui impugnandi licentia lasciviente protervia efferor, quam de erecta tua indole concepti, opinio, & libertate, quam hic amicorum praecipuis indulges, eo me impulit alioquin resistentem. Et quanquam equi instar sub auriga rectore, non recedam à veteri & trita via, quam sedulo calcavi, ita tamen sentio de tuis *Cogitatis*, & fateri me res ipsa cogit, tecum & cum mundo iniquis te egisse, cum tantas opes domestico carcere damnatas, invidisti publico usui. Licet enim persuasum habeam quoad tenorem & subjectum praecipuae dissertationis, nulla in Academia te reperiturum Tribunal, quod erroris te absolere sustineat, tamen negari non potest, Tractatum tuum ubique scaterere conceptibus selectae frugis super praesenti statu scientiarum, & ingeniosissimis commentationibus super adjumentis eas promovendi, ut efficacissime eum trahat quicumque earum rerum studio capitur, penitusque explorandi gignat haud iners desiderium, non ut eo tantum enitatur, quod in purvulgatis hodie scientiis summum est, sed ut altius quasi feratur in ipsa latentis naturae viscera, omnique ingenii & iudicii nervos intendat, donec D. Pauli illud perfecerit *Confessari meliora dona*. Utinam hanc ingressus esses viam, (votum id auribus tuis depono) cum primum ad haec studia animum adjiceres, vir longe alterius Scholae! nihilominus utcumque haec se habebant, cum id tibi firmum fixumque sedeat, & Patriae fidem tuam probes, toto affectu precor, quod sepiissime facio, ut paria meritis tuis obtingant. Quod, spero, affluet aliquando plenis honorum & felicitatis rivis. *Fulhami*, Febr. 19. 1607.

DESCRPTIO
GLOBI INTELLECTUALIS.
CAPUT PRIMUM.

Partitio universalis humanae doctrinae in Historiam, Poësin, Philosophiam, secundum triplicem facultatem mentis, Memoriam, Phantasiam, Rationem; quodque eadem partitio competat etiam Theologicis: Cum idem sit vas (nempe intellectus humanus) licet materiae & insinuatio sint diversa.

Partitionem doctrinae humanae eam deligimus, quae triplici facultati intellectus respondeat. Tres itaque ejus partes à nobis constituuntur: *Historia, Poësis, Philosophia*. *Historia*, ad memoriam refertur: *Poësis* ad phantasiam: *Philosophia* ad rationem. Per *Poësin* autem nihil aliud intelligimus hoc loco, quam historiam fictam. *Historia* propria individuorum est, quorum impressiones sunt mentis humanae primi & antiquissimi hospi-

tes; suntque instar primae materiae Scientiarum. In his Individuis atque in hac materia, mens humana assidue se exercet, interdum ludit. Nam Scientia omnis mentis & exercitatio & opificium; *Poësis* ejusdem lusus cenferi possit. In *Philosophia* mens mancipatur rebus; in *Poësi* solvitur à nexu rerum, & expatiatur & fingit quae vult. Haec verò se ita habere, facile quis cernat, qui simpliciter tantummodo, & pingui quadam contemplatione Intellectualium Origines petat. Etenim Individuorum imagines excipiuntur à Sensu, & in memoria figuntur. Abeunt autem in memoriam tanquam integrae, eodem quo occurrunt modo. Has rursus retrahit & recollit Mens; atque (quod officium ejus proprium est,) portiones earum componit, & dividit. Habent enim Individua singula aliquid inter se commune, atque aliquid rursus diversum & multiplex. Ea verò compositio atque divisio, vel pro arbitrio mentis fit, vel proae invenitur in rebus. Quod si fiat pro arbitrio Mentis, atque transferuntur portiones illae ad placitum, in similitudinem quandam Individui, Phantasiae opus est, quae nulla naturae aut materiae lege & necessitate astricta, ea quae in rerum natura minime conveniunt, conjungere; quae verò nunquam separantur, discernere potest, ita tamen, ut intra primas illas ipsas Individuorum portiones coëreatur. Nam eorum, quae nulla ex parte se sensui obtulerunt, non est phantasia, ne somnium profectò. Quod si eadem Individuorum portiones componantur & dividantur, pro ipsa rerum evidentia, & prout verè in natura se produunt, aut saltem pro captu cuiusque se prodere notantur, eae partes Rationis sunt; atque universa hujusmodi dispensatio rationi attribuitur. Ex quo liquido constat, ex tribus hisce fontibus, esse tres illas emanationes *Historiae, Poësis, & Philosophiae*; neque alias, aut plures esse posse. Nam sub *Philosophia* nomine completimur omnes artes & scientias, & quicquid denique à singularium rerum occurfu per mentem in generales notiones collectum & digestum est. Neque alia censemus ad Doctrinam partitione, quam illa superiore, opus esse. Informationes enim oraculi, & Sensus, & re procul dubio, & modo insinuandi differunt; sed tamen Spiritus humanus unus atque idem est; perinde ac si diversi liquores, atque per diversa infundibula, tamen in unum atque idem vas recipiantur. Quare & Theologiam ipsam, aut ex historia sacra constare asserimus, aut ex praecipis & dogmatibus divinis, tamquam perenni quadam Philosophia. Ea verò pars, quae extra hanc divisionem cadere videtur, (quae est Prophetia,) & ipsa Historiae species est, cum praerogativa divinitatis, in qua tempora conjunguntur, ut narratio factum praecedere possit; modum autem enuntiandi & vaticiniorum per visiones, & dogmatum caelestium per parabolas, participat ex *Poësi*.

CAPUT II.

Partitio Historiae in Naturalem & Civilem, Ecclesiasticam & Literariam sub Civili comprehensa. Partitio Historiae Naturalis in Historiam Generationum, Praeter generationum, & Artium ex triplici statu naturae, liberae videlicet, aberrantis, & constitit.

Historia aut *Naturalis* est, aut *Civilis*. In *Naturali* Naturae res gestae & facinora memorantur